



Universitätsbibliothek Paderborn

Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1710

9. Dies Januarii. Gratiâ, non solùm ut facienda noverimus, sed ut cognita
faciamus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45477

Januar.

Tessera.

21

non voluntas Dei torqueatur ad tuam. Prava est enim tua, regula est ista. Sit et regula, & quod pravum est corrigatur ad regulam.

Frustrâ conatur, cui non Deus auxiliatur.

9. DIES JANUARII.

*Gratiâ agitur, non solum ut facienda no-
verimus, sed ut cognita faciamus. Au-
gust. de grat. Christ. c. 12.*

Post velle I. **H**ic demum est Christianæ per-
& posse; sequitur licitatis apex, humanæ fœ-
licitatis vertex, bonum quod
facere. vis quod potes, Velle, quod velis

Facere. Et hoc fateri debes, te gratiæ de-
bere ut monet tessera. Audi, & quidvis aude : [a]
Deus qui operatur in vobis, & velle, & perficere. Qui
operatur in te velle, est Bonitas; qui perficere, est Po-
tentia. Quid dubitas perficere, ubi ut velis, Bonitas
excitat; ut facias, Potentia adjuvat? Hinc jam duo
emergunt, quæ toto marte sibi repugnant. Alterum
*est Christi, alterum est Pauli. Sic Christus: [b] *Sine**
*me nihil potestis facere. Sic Paulus: [c] *Omnia possunt**
in eo, qui me confortat. Ecce hic gemina abyssus: Ni-
hil, Omnia. Nihil, quid minus? Omnia, quid ma-
jus? Nihil, quid inanius? Omnia, quid pleniū? Ni-
hil, quid profundiū? Omnia, quid excelsius? Ecce
gratiæ necessitatem, sine qua potes penitus nihil: ec-
ce gratiæ potestatem, cum qua potes divinitus om-
nia. Ex hac utraque abyso, emergunt duæ virtutes;
quæ sunt perfectionis cardines; summa hinc Huini-

B 3

litas,

[a] Philip. 2.13. [b] Joan. 15. [c] Philip. 4.13.

itas, indè Magnanimitas. Illa te ad infima demittere
quia nihil potes, hæc ad summa te attollet, quia o-
mnia potes. Illa te monet ut timeas, hæc te movet ut
audeas.

II. Si gratiæ auxilio potes omnia, quid sinis can-
feriari, cùm per eam possis dominari in omnia? Si
vis, potes corpus insolens domare: coercere per-
turbationes, cupiditates frangere, indicere male à
suetis æterna exilia, resecare affectus, & necessitudi-
nes vitiosas. Quid dico? potes cum laureatis illi
Christi Pancratiaстis, prensare fortiter, & exhaustim
hilariter crudelitatis impiæ totam barbariem, &
lentè mori, ut sæpius moriaris. Potes cum illis Ana-
choretis, & silvestrium rupium incolis, in angusti-
cavo, clam cunctis mortalibus, inediâ corpus ma-
cerando, & carnem te vexantem vexando, in terrâ
cælestem, in corpore Angelicam, inter homines di-
vinam vitam vivere. Potes ut Apostolici illi Heros,
te contemptu fortunarum reddere fortunatum, ni-
hil habendo, nihil non habere, subjecere tibi omnia
te nulli. O prodigium gratiæ! hanc semiquassatan
arundinem, hanc plumam, hanc bullam, hoc dicam
sonnum, hoc nihilum, in columnam ferream, &
murum æreum firmantis, quibusvis hostium ma-
chinis fortiorem!

III. Quid nunc in mundo quæris, cùm te qua-
rat, qui est suprà mundum? Quid expetis in cœlo,
vel in terra, cùm illum per gratiam possideas, qui in
principio creavit cœlum & terram? Quid hæres in
contractis limitibus naturæ, jam evectus ad culmen
gratiæ! Quid quæris præter Deum, qui invenisti
gratiæ apud Deum? Quomodo qui ascendisti ad

con-

consortium naturæ divinæ , atque adeò in Supremo rerum fastigio , inter omnia sublunaria emines præ omnibus, demittis te ad vilia , & humilia, ad muscas in aëre, ad scarabæos in simeto, ad vermiculos in terra , ad talpas sub terra ? Quis te undique stupor invaderet, & totum raperet, si vermiculum despicibilem, è putidi canis olido cadavere assumi videres, & afferrari ad naturam supremi Angeli, ut qui anteà repebat in tæbe vermiculus, jam esset in cœlo Angelorum primus? Major est tua metamorphosis & altior dignitas , dum è peccato assurgis ad gratiam. Tunc enim superas naturam omnem , non tantum creatam, sed quæ potest creari. Tota , cum toto suo bonorum apparatu natura, subdit se gratiæ: illique fæces submittit, omnis ejus pulchritudo , potentia, opulentia, sapientia, scientia. Attendite eruditæ, & vos potissimum juris periti.

Gratia fit pluris, quam tota scientia juris.

IO. DIES JANUARII.

Si non essem operator , Deus non esset co-operator. *August. l. de lib. arbit.*

Necessæ I.
est cum
gratia co-
operari.

ADmodum nihil juvabit te habere juvantē, quâ omnia possis, gratiam, si tantum donum quantum inter naturæ dona nullum nec est, nec esse potest præstabilius, ut piger ille in Evangelio, (a) vel reponas in sudario, vel fodis in terram? Culpa non vacabis si gratia Dei in te fuerit vacua. Hic ergo totus tuus impendatur, &

B 4

inten-

(a) *Luc. 19. 20. Matth. 25. 16.*